

Theodericus SACRÉ

DE COLLOQUIIS QUIBUSDAM SCHOLASTICIS
INTRA VICENNIUM FASCALE CONSCRIPTIS

Sembra che in Italia tutti abbiano perduto la testa. I Capi conducono ciecamente il Paese alla rovina, mettendolo contro tutto il mondo. Il popolo si esalta al pensiero della Guerra e, educato alla violenza, pensa di poter vincere tutto il mondo.
(*R^{mus} D.D. Dominicus Tardini, exeunte anno 1935*)¹

Abhinc annos circiter quattuor, auditores, cum collegae cuiusdam atque amici rogatu in ea carmina Latina inquirere coepissem, quae tempore fascalium seu fascistarum in lucem essent edita, permultas incidi in lucubrationes alias, quae variis ac diversis litterarum generibus erant scriptae, quaeque cum his Musae fetibus, qui mihi tum erant curae, quodammodo essent comparandae. Alii enim orationes texuerant laudum Mussolinianarum plenas, alii ipsius Ducis contiones Italicas Latinum in sermonem verterant eo consilio, ut versiones Latinae in scholis praelegerentur, alii narrationes ac fabulas Latine dederant foras, in quis locum non ignobilem obtinebat vel Dux, vel ipsius laus, alii denique inscriptiones atque elogia effinxerant, quae in parietibus quibusvis incisa varii generis aedificia in urbibus Italiae ornarent, praecepta quaedam traderent, mores quosdam inculcarent, patriae et summi eius moderatoris laudes canerent.² Itaque sese mihi tum obtulerunt varia quoque opuscula, quae praeceptores doctoresque Italici ad scholas Latinas adhiberent, discipulorum autem greges probi legerent ac perdiscerent.

Haec ergo prolusio, qua rem dodrante horae adumbraturus potius sum quam tractaturus, ex eo est orta, quod mihi forte obviam est factus colloquiorum scholasticorum numerus non ita parvus, quae ineunte saeculo vicesimo iuris sunt facta publici, hoc vero aevo in bibliothecis horreisve, ut ita dicam, digitalibus delitescunt,³ vix cuiquam nota, etiamsi multa exempla ab Aloisio Miraglia in sedem quandam retis mundani perutiliter sunt congesta; quibus ipse libenter sum usus. Quotiens enim de dialogis colloquiisve scholasticis est sermo, totiens in mentem nobis veniunt Erasmus, Vives, aliive pauci qui saeculo decimo sexto scripserunt,⁴ neque nos fugit postea quoque genus id floruisse, donec rationes docendi vivae in usu essent et discipulis intra gymnasiorum parietes Latine esset vel assidue vel per occasiones loquendum; at quotus est quisque qui vel sciat vel coniciat, etiam secundo, tertio, quarto superioris saeculi decenniis eiusmodi dialogos satis multos typis excusos atque discipulorum in usus esse divulgatos? Nonne nostrum plerique, haud ignari longaequam fuisse

¹ Cfr. E. Gentile, 'Catholicism and Fascism. Reality and Misunderstandings', in J. Nelis – A. Morelli – D. Praet (edd.), *Catholicism and Fascism in Europe 1918-1945* (Hildesiae, Turici, Novi Eboraci, 2015), pp. 15-47 (p. 43).

² Cfr. D. Sacré, 'Die neulateinische Literatur in Mussolinis Italien: eine Einführung', et 'The *Certamen Hoeufftianum* during the *ventennio fascista*: An Exploration', in H. Lamers – B. Reitz-Joose – V. Sanzotta (edd.), *Studies in the Latin Literature and Epigraphy of Italian Fascism* (Lovanii, sub prelo); cfr. etiam H. Lamers - B. Reitz-Joose - D. Sacré, 'Neo-Latin Literature – Italy: Fascism (1922-1943)', in Ph. Ford – J. Bloemendal – Ch. Fantazzi (edd.), *Brill's Encyclopaedia of the Neo-Latin World* (Lugduni Batavorum et Bostoniae, 2014), pp. 1091-1096; H. Lamers – B. Reitz-Joose, 'Lingua lictoria: The Latin Literature of Italian Fascism', *Classical Receptions Journal*, 8 (2016), 216-252.

³ Complures id genus libri leguntur in retis mundani sede quae est Academiae Vivarii Novi, s.v. 'Risorse didattiche: Colloquia scholastica': ex his potissimum exempla selegi quaedam. Cfr. etiam U. Piacentini, 'Über die Rolle des Lateinunterrichts und der Römischen Geschichte im faschistischen Italien', *Das Altertum*, 10 (1964), 117-126; et oratio Roberti Spataro his ipsis actis inserta.

⁴ Cfr. T. Tunberg, *De rationibus quibus homines docti artem Latine colloquendi et ex tempore dicendi saeculis XVI et XVII coluerunt* (Lovanii, 2012), qui etiam saecula posteriora attigit (pp. 91-96).

eam colloquiorum hereditatem eamque etiam saeculo vicesimo esse auctam, digito monstrabunt paucos scriptores, intermortuo generi litterario superstites, qui, longioribus usque interiectis intervallis, colloquiorum formulas verave colloquia in lucem publicam dispersim protraxerunt? Inter quos digni sunt qui memorentur Thomas Elsaesser Belga (1844-1917),⁵ Carolus Dumaine Francogallus, qui *Conversations latines* anno 1920 primum emisit, Georgius Capellanus sive Eduardus Johnson Germanus (1840-1903), libri satis clari auctor, quem *Sprechen Sie Lateinisch?* inscripsit,⁶ Georgius Schwieder, qui librum conscripsit, c.t. *Latine loquor*, Romae anno 1953 primum divulgatum,⁷ et Arcadius Avellanus Hungaro-Americanus (1851-1935), qui viva (quae dicitur) ratione docendi usus, libros scholasticos multis interspersit colloquiis et dialogis,⁸ -- ne quem e nostro coetu academico vivum adhuc atque spirantem nominatim heic appellem; unum vero virum excipio, cuius opus secundis curis nuperrime divulgatum in taberna quadam libraria hac in urbe vidi.⁹

At intra illud vicennium, quod fascale solet appellari, apud Italos messis fuit eiusmodi opusculorum opima. Quam nos cives extra Italiam nati primo intuitu admiramur, at, re paulo diligentius considerata, mirari fortasse desinimus. Romanitatis enim cultum iis temporibus miro fuisse in flore scimus, non quod scriptores ipsi veteres illa aetate penitissime explorarentur historiaeve Romanae acutissime excuterentur, sed quia qui ad gubernacula populi Italici erant admoti, ii toti cultui civili ceraturam quandam sive fucum et vernicem in superficie eo fine inducendum esse censebant, ut Itali, erectis denuo animis, se progeniem Romanorum esse crederent, ducem vero suum quasi quendam Iulium Caesarem vel Octavianum Augustum in vitam revocatum considerarent, ipsique in vita civili cursum talem tenere vellent, ut aliquot praeceptis, ex antiquis scriptoribus hinc illinc delibatis, obedirent, eisque sedulo obtemperantes ad Romanorum amplitudinem proxime accederent. Nam ita contendebat regimen fascale: si Itali Romanis virtutibus sese dignos praestitissent, nihil obstaturum quin tantum toto orbe terrarum locum mox obtinerent, quantum Romani antiquitus obtinuissent. Ea enim cantilena civitatis moderatores obtundebant omnium aures, imperium Romanum revixisse ac renovatum esse in imperio Italico (namque Aethiopibus devictis eorumque regionibus expugnatis, regnum Italicum mutato nomine imperium appellabatur).¹⁰

Fuit ea tempestas, cum gentes complures nationis suae amplificandae studio arderent. Itali vero, ut nominis Romani hereditatem ex asse reciperent, linguae quoque Latinae patrocinium suscipiebant, usumque eius quam latissime propagandum curabant. Non toto caelo erraverit, si quis id studium eumque ardorem, si non omni, at aliquâ tamen ex parte conferendum esse contenderit cum Laurentio illo Vallensi, *Elegantiarum* auctore, qui patriae ipse quoque amore

⁵ Cfr. eius libri q.t. *Nos in schola Latine loquimur. Ars Latine loquendi pueris, amatoribus, fautoribusque linguae Latinae dedicata*, nova ed. (Rollarii et Bruxellae, 1909); *Linguam discito lingua. Grammatica Latina. Syntaxis accurata in dialogum redacta multisque exemplis explanata* (Rollarii, 1910).

⁶ *Moderne Konversation in lateinischer Sprache* (Lipsiae, ed. altera, 1890). De hoc colloquiorum libello et de quibusdam aliis egit A. Fritsch, *Lateinsprechen im Unterricht* (...) (Bambergae, 1990), pp. 49-51. Cfr. etiam infra, in adnotatiuncula 26.

⁷ Editio altera, qua sum usus, prodiit Romae, Friburgi Brisgavorum et Barcinone anno 1963.

⁸ Cfr. i.a. *Arena Palaestarum* [sic!], *hoc est, libellus ad sermonem Latinum legendo, scribendo et loquendo exercendum et utilis et iucundus, praesertim iis, qui prima initia Latinitatis adminiculo Palaestrae fecerint. Pars Curriculi Tusculani secunda* (Philadelphiae, 1914). De Avellano consulatur K.M. Lyvens, *Latinitas viva in confinio saeculorum XIX et XX per quaestionem linguae gentium considerata* (dissertatio inedita defensa apud stud. Univ. Vilniensem, 2016); P.M. Owens, 'Arcadius Avellanus: Neo-Latin works of the Early 20th Century' [in rete mundano, 2014].

⁹ C. Pavanetto, *Romanorum litterae et opera aetatis nostrae gentes erudiunt. Altera editio hic illic emendata et aliquantum locupletior facta* (Romae, 2018), de quo opere Robertus Spataro in oratione hisce actis iniecta egit.

¹⁰ Cfr. i.a. J. Nelis, *From ancient to modern: the myth of the romanità during the ventennio fascista. The written imprint of Mussolini's cult of the 'Third Rome'* (Bruxellae – Romae, 2011).

inflammatus, Latinitatem a barbaris, uti aiebat, oppressam, in puritatem vindicabat, laudemque suae gentis ab ea pugna non alienam esse sentiebat. Utut erat, Itali sese eis temporibus, cum fascies dominarentur, Latini sermonis, e quo lingua Tusca orta esset, heredes, sese eiusdem custodes maximos esse clamitabant,¹¹ proprieque suum esse asseverabant eam linguam defendere ac propagare; nam sperabant Latinum sermonem locum eum praestantissimum, quem in re publica doctorum olim obtinisset, esse recepturum. Quorum ita sentiebant, facile est conicere: etenim cum cultu Latino cultus Italicus in orbe denuo erat dominaturus. Hinc, iuvante Instituto Romanis Studiis Provehendis (quod anno 1925 conditum est), nova lexica confecta, novae scriptorum veterum editiones apparatus, et acta conventuum doctorum, sive ad litteras, sive ad disciplinas exactiores pertinebant, summariis Latinis sunt instructa. Haec spectabant ad momentum rei Latinae et obidipsum rei Italicae per orbem augendum. At quo melius Itali non solum informarentur ad partes suas inter gentes omnes digne agendas, sed etiam fascalium dogmata animis suis ipsi imbiberent, ea lex erat ut in gymnasiis studia linguae Latinae et cultus Romani dilatarentur latiusque propagarentur. Hinc, studiorum rationibus immutatis atque instauratis, factum est ut pueris et puellis, quotquot scholas medias, quae appellabantur, frequentabant, Latine esset discendum, et ut adulescentes postea etiam in gymnasiis et lyceis sive classicis sive scientificis, quae nuncupantur, linguae Latinae studia superiora renovare et continuare cogerentur. Immo, anno 1936 decreto regio promulgato, cunctis in Italia discipulis iniunctum est ut, vixdum e ludis litterariis egressi, statim Latine addicerent atque ab initio ita instituerentur, ut Latine scribere atque etiam Latine possent loqui: “*Nello studio del latino gli alunni debbono essere educati fin dalle prime classi all’uso diretto della lingua, sia come espressione orale sia come espressione scritta*”.¹² Itaque docendi illae rationes, quas methodos vivas viasque activas appellamus, quae, nisi fallor, in desuetudinem passim ierant et in unis fortasse commentariis Latinis locum aliquem obtinere perrexerant,¹³ in usum denuo sunt inductae.¹⁴ Ergo dum legem hanc scholasticam, quam dixi, memoria repetimus, mirari prorsus desinimus, quod inde ab eo ipso anno libelli prodire ac pullulare coeperunt, quibus continebantur diverbia, dialogi, colloquia Latina, quorum ope atque auxilio iuventus Latine loqui et scribere disceret. Neque gymnasiarchi ac praeceptores, ut legibus novis parerent, novos semper in lucem producerunt libros, sed ad eos, qui superioribus saeculis in usu satis communi versati erant, interdum confugiebant. Itaque series dialogorum, quam Vives anno 1539 *Exercitationem linguae Latinae* inscripserat, quae apud Italos fama semper vigerat, paucis rebus vel demptis, vel

¹¹ Cfr. ut alia opuscula mittam, A. G. Amatucci, ‘Il latino e la nostra rinascita nazionale’, *Scuola e cultura*, 5 (1929), 12-25.

¹² Haecce verba in praefationibus librorum scholasticorum, qui iis temporibus divulgabantur, saepius iterabantur, ut in A. Bini, *L’uso viva della lingua latina* (Florentiae, 1940), pp. VII-VIII; attulit eadem quoque L. Miraglia, *Nova via Latine doceo. Guida per gl’insegnanti*, I: *Familia Romana* (Montellae, 2009), p. 282; de Latina lingua docenda quid senserint doctores, praeceptores, paedagogi, viri in re publica versati exposuit i.a. R. Calderini, *L’insegnamento del latino in Italia dalla riforma Bottai alla riforma Gui (1938-1963)* (Bononiae et Mediolani, 1966), praesertim cap. I (pp. 3-59; colloquia et dialogi attinguntur pp. 23 et 35-36). Cfr. etiam quae scripsit Evarista D’Anversa poeta in eo carmine, quod inscribitur *Scholae mediae apud Italos instituendae auspiciis* (quod anno 1940 ad iudices Hoeffftianos Amstelodamum est missum, nunc adservatur Harlemi in tabulario Hollandico septentrionali (64-836, fascic. 3), vv. 53-55: “At nunc optandum est in ludis instituendis / Caesaris ut linguam discere iam liceat / ac libeat per sermonis commercial vivi, / qualia cum nato mater habere solet”.

¹³ Itaque dialogi Iacobi Pontani et S.J., Antonii Van Torre ex eadem S.J., Ludovici Vivis in iis commentariis, q.t. *Alma Roma*, semel atque iterum sunt recusati; cfr., e.g., *Alma Roma*, 21 (1934), 12-14, 31-32, 47-48, etc. (dialogi Pontaniani); *Alma Roma*, 13 (1926), 81-82, 157-158, etc. (dialogi Antonii Van Torre); *Alma Roma*, 18 (1931), 136-137, 172-173, etc. (dialogi Vivici).

¹⁴ Cfr. L.G. Cognasso, *Colloquia latina. Manuale di conversazione per le Scuole medie* (Augustae Taurinorum, 1936), pp. VII-VIII: “Il gruppo più numeroso dei lettori della seconda specie è costituito dalle falange degli scolari che frequentano le Scuole medie, inferiori e superiori. Essi non trovano una tradizione; non c’è un avviamento, si può dire, a parlar latino nelle nostre scuole di latino. [...] Il latino ritorna ad essere la lingua della scuola e della vita della scuola” [...].

mutatis atque ad usus recentiores accommodatis, haud secus atque colloquia Pontaniana denuo typographorum prelis committebatur. Itaque latet sub libri ab Ernesto Curotto (1884-1967) editi titulo, qui est *Colloquii e moti latini con versione italiana*, ipsa *Exercitatio Vivica!*¹⁵ Quae cum editio virorum doctorum nostra memoria florentium atque in fortunam Vivicam incumbentium scientiam fugerit,¹⁶ expresse hic est laudanda.¹⁷ Quis autem administris publicae institutioni praepositis suadere valuerit in scholis non solum scriptionem, verum etiam loquelam Latinam tironibus rursus esse exercendam, nondum plane mihi constat. At veri mihi videtur esse simile, quodammodo rem coniunctam esse vel fuisse illis consiliis, quae iam aliquot ante annis cepisset Institutum illud Romanis Studiis Provehendis, Latinitatis redivivae studiosissimum: nam auctore Instituti illius praeside, anno 1934 nationi Italicae non solum solutae orationis, verum etiam Latine colloquendi certamina indici erant coepta.¹⁸

Postquam ratio studiorum Latinorum nova scholis mediis ordinis est imperata, permulti praeceptores vel lucris vel honoris causa novos libros scholasticos apparabant, novas ad condiciones accommodatos. Talium librorum manualium ego partem legendo percurri, cum cuperem videre quibusnam modis doctores illud ‘Linguam discito Lingua’ ad effectum adducere valuissent.

Qua in re primoribus heic, ut dixi, labris libanda, tria notare contentus ero, quorum tertium paulo fusius illustrabo, priora non nisi obiter attingam. Unum est hoc, quod hi libelli saepiculae sunt miscellanei, quippe quibus non solum dialogi contineantur, verum etiam pensa Italica Latine vertenda, poemata, narratiunculae, historiae, loci e veteribus excerpti atque, id quod maioris est momenti, indiculi verborum recentiorum et recentissimorum. Siquidem discipulis in cottidiana vita scholari sermones Latinos inter se serentibus opus erat eo penu verborum, quae etiam ad res eius aevi exprimendas adhiberi possent. Atque eiusmodi supellex verborum eo magis necessaria fuisse videtur, quod fascales non solum spatia temporum Romanorum respiciebant, sed etiam ac pariter ii quidem futura prospiciebant; novam enim se condere aetatem somniabant, praeditam progressionem ingenti, cuius ipsi signa contuebantur miris in incrementis, rei nauticae et aeronauticae, rei telegraphicae, commerciali et machinali per Italos in Italiam allatis, neque occasionem praetermittebant quin de Marconio (+ 1937), nuntiorum per aetherias undas mittendorum auctore eodemque sodale Supremi Consilii Fascialis, de Italo Balbo (+ 1940), Mussolini satellite et ab aëria classe administro, de Francisco de Pinedo (+ 1933), aëroplanorum rectore qui omnes fere terras velivolo petierat, vel in libellis scholaribus gloriarentur. Eorum igitur merita Latine quoque erant canenda. Intellegitis, auditores, nova passim fuisse verba confingenda, vel vetera ab oblivione vindicanda atque ad usus recentiores aptanda: quo factum est ut libri scholares haud raro indicibus verborum auferentur. Nam Arturus ille Bini libro, quem *L’uso vivo della lingua latina* inscripsit, Florentiae anno 1940 edito, supplementum lexicale praemisit:¹⁹ quod cum

¹⁵ (Augustae Taurinorum, ed. altera, 1938); prima videtur edita esse anno 1936. Cfr. quae scribuntur in praefatione operis: “Anche nello studio del latino si rinnoveranno nelle nostre scuole gli antichi metodi umanistici”.

¹⁶ Cfr. E. González González – V. Gutiérrez Rodríguez, *Los Diálogos de Vives y la imprenta. Fortuna de una manual escolar renascentista (1539-1994)* (Valentiae, 1999).

¹⁷ Etiam apud Aloisium Cognasso, *Colloquia Latina*, reperiuntur dialogi ex Erasmo, Vive, Van Torre excerpti. Patet autem e praefatione, libri huius auctorem familiaritate aliqua iunctum fuisse cum Iosepho Fornari, commentariorum, q.t. *Alma Roma*, editore et libellos eos periodicos pervolutasse; siquidem Fornario gratias agit quod ipsi concessit ut colloquia quaedam Vivica et Torriana, a Fornario retractata atque ad usus recentiores accommodata, ex *Alma Roma* hauriret.

¹⁸ Cfr. Th. Sacré, ‘De certamine solutae orationis Latinae Italico (1934-1949) et de aliis quibusdam certaminibus’, *Melissa*, 209 (2019), 7-14.

¹⁹ Bini, *L’uso vivo*, pp. 1-99: *Vocabolario supplementare per l’uso vivo della lingua latina*.

centum paginas complectatur, non indiculum verborum appelles, sed lexicon purum putum, ea quoque de causa memoratu dignum, quia aliquot ante annis est divulgatum, quam Antonii illius Bacci *Lexicon* notissimum typis primum est excusum: opus enim Baccianum anno 1944 primum prodiit. Binio, ut exempla nonnulla ponam, pro ‘tramine’ vel ‘hamaxosticho’ proposuit ‘curruum ferriviae agmen’, pro ‘autocineto’ ‘raedam motoriam, vehiculum motum habens, vehiculum movendi vi praeditum, motorium vehiculum’. Et B. Isa Noël in eo libro, qui inscribitur *Alterni sermones. Conversazioni italiano-latine* (Neapoli, 1936) pro ‘taeniola’ vel ‘fabula cinematographica’ proposuit ‘pictam fasciam’ vel ‘picturam volubilem’ [p. 36], pro ‘telephonice loqui’ ‘teleloqui’.²⁰ Quantopere idem praeceptor res vitae communis et cottidianae Latine interpretari voluerit, patet ex hoc exemplo, etiamsi crasso mihi videtur errore esse inquinatum (p. 43):

Ti piacciono i maccheroni napoletani con salsa di pomodori? –
Placent tibi pastilli Neapolitani cum condita lycopersica?²¹

Videtur minus interdum esse probabilia quae a Binio et Noël sunt proposita; at id me minus movet; magis hoc, quod pernecece mihi videtur esse ut conficiatur aliquando thesaurus verborum recentissimorum, in quem non solum ea vocabula congerantur, quae vel usurpari soleant, vel recte efficta videantur esse et ob eam causam commendabilia, sed etiam ea nomina, sive probanda sint sive improbanda, quotquot rebus recentissimis sint olim a scriptoribus imposita. Saepius enim hac in re caecutimus et quia non omnes excussimus litterarum auctores, verborum fontes nos repperisse opinamur, cum rivulos tantum inde manantes conspexerimus. Unico sinite me exemplo uti. Res est minimi momenti, compotoribus vero instrumentum quod ad vitam facit beatam: quo uti solemus ne lagoenae vinariae liquores suos in pocula effundere prohibeantur: ‘tire-bouchon’ Gallice, Tusce ‘cavatappi’ nuncupatur. De vocabulo Latino scripsit Pater Eichenseer “recte²² confictum esse *recenter*, quod est ‘extraculum’, quo instrumento obturamenta lagoenarum extrahuntur”²³; ac Pater Caelestis refert nos ad *Vocem Latinam* anni 1979;²⁴ habet idem vocabulum *Lexicon auxiliare* Helferi,²⁵ quo teste vox primum legitur apud Antonium Freire, in libro qui Lusitane *Conversaço Latina* (Portu Calensi, 1960) inscribitur. At vocabulum illud, quod est *extraculum*, vetustius esse videtur: nam iam legitur apud Octavium Tempini (1880-1945),

²⁰ Hoc ‘teleloqui’ haustum esse videtur e C. Dumaine libro c.t. *Conversations latines* (1920), quem supra memoravimus (cfr. A. Bacci, *Lexicon eorum vocabulorum quae difficilium Latine redduntur*, ed. tertia (Romae, 1955), p. 646).

²¹ *Lycopersicum* enim nomen est generis neutrius. Ceterum *pastillus* (qui fortasse e Thoma Vallaurio est sumptus) nimium late patet, ut ostendit A. Bacci, *Lexicon eorum verborum quae difficilium Latine redduntur*, p. 367; Bacci aliique v.d. malunt ‘pastam tubulatam’.

²² Cfr., e.g., *guberna-culum*.

²³ C. Eichenseer, *Collectanea usui linguae Latinae dicata* (Saraviponti, 1999), p. 197 (cfr. F. Deraedt & G. Licoppe, *Calepinus novus. Vocabulaire latin d’aujourd’hui. Français-Latin* (Bruxellae, 2002), p. 97). Antonius vero Bacci, fretus scriptore aliquo anni 1942, ‘tormentum cochleatum’ proposuit (A. Bacci, *Lexicon eorum vocabulorum quae difficilium Latine redduntur*, p. 136); Baccium secuti sunt C. Egger et qui *Lexicon recentis Latinitatis* apparaverunt (1 (in Urbe Vaticana, 1992), p. 151; etiam memoratur ‘extraculum’, fonte non indicato); at Thomas Mariucci, Iosephum M. Mir secutus, tam ‘obturaculi extractorium’ quam ‘suberis extractorium’ commendavit (T. Mariucci, *Latinitatis nova et vetera. De Romani sermonis virtute*, 2 (in Civitate Vaticana, 1987), p. 139). Mir vero, etsi ‘suberis extractorium’ admisit, tamen ‘extraculum’ adhiberi maluit (I.M. Mir, *Nova verba Latina* (Barcinone, 1970), p. 246). Nihil hoc loco refert reperiri inde ab imperio Romano ad finem vergente ‘extraculas’ (generis masculini), id est, nisi fallimur, ‘extracolas’ sive ‘homines qui foris versantur’ (cfr. Cangius s.v. ‘extracula’; et *Iosephi Laurentii Amalthea onomastica* (...)) (Venetiis, 1708), p. 348).

²⁴ C. Eichenseer, ‘De verbis vocabulisque Latinis convenienter confingendis’, *Vox Latina*, 15 (1979), 221-230 (p. 226).

²⁵ Ch. Helfer, *Lexicon auxiliare. Ein deutsch-lateinisches Wörterbuch*, editio tertia (Saraviponti, 1991), p. 325.

Salesiani ordinis sacerdotem,²⁶ in eo libro cui titulus est *Manuale di conversazione latina per tutte le scuole medie inferiori e superiori. Cinquanta dialoghetti (...)* (Augustae Taurinorum, etc., ed. altera, 1936), p. 40-41:²⁷

(Henricus) Heus, puer, nonne vides, quanta hic siccitas sit? Da singulis pocula plena.
(Iulius) Cedo extraculum!

Ceterum vix est dubitandum quin nomen extraculi iam anno 1925 libro Latine edito sit insertum. Hoc exemplo, auditores, contenti sitis: satis ex eo apparet cur libros scholares eius aevi fascalis diligenter considerandos esse existimem, si quis verborum recens effictorum historiographus esse voluerit; et oportet, omnino oportet mea sententia existant ac prodeant tales historiographi, qui verba nova litteris consignata quam diligentissime excutiant, testimonia quam plurima congerant, fontes eorum aperiant: semper nobis erit opus opera virorum doctorum, quales fuere Rhenatus Hoven et David Morgan: prior, ut scitis, verba non antiqua e scriptis humanisticis excerpere est conatus; posterior pro virili est enisus ut recentiora et recentissima e quam plurimis lexicis operibusque litterariis et scientificis expiscaretur – huic in eo labore iam successerunt nonnulli sodales nostri academici (veluti P. Owens, T. Tunberg, N. Gross, G. Licoppe, F. Deraedt, M. Pisini, I.C. Rossi, A. Miraglia, R. Pitkäranta....).

Iam vero ad alterum transeo, quod mihi eos libellos scholares sive scholasticos legenti admirationem movisse nuntiavi. Verbo dicam: compluribus eius farinae libris continebantur florilegia litterarum Latinarum auctorum recentium et recentissimorum, id quod apud ceteras gentes, quod sciam, illo aevo in hoc genere rarius erat. Cur recentiores et recentissimi non sint neglecti, quin immo commendati, qui a discipulis sedulo evolverentur, facile est videre: siquidem Itali erant scriptores, ad Italorum gloriam conferebant, linguam Latinam litterasque Latinas si cuiusquam, Italicae certe gentis proprium esse patrimonium ostendebant. Itaque liber manualis Arturi Bini, quem diximus, locos haud paucos attulit, excerptos e Francisco Petrarca, Leonardo Bruno, Iohanne Ioviano Pontano, Iacobo Sannazario, Ludovico Arioste, quos humanistas appellare solemus, atque e Manzoni, Leone XIII P.M., Iohanne Pascoli, Alafredo Bartoli, Francisco Sofia Alessio, qui poetae saeculis undevicesimo et vicesimo floruerunt. Hoc autem loco non dubito quin cogitatione vos, auditores, praesentiat quod litterarum monumentum locum fere summum in eo florilegio Biniano teneat: est *Carmen lustrale*, strophis Alcaicis contextum a Iohanne Napoleone, primum cum quinquennium regiminis fascalis in exitu esset: totum est in laudibus Mussolinianis:

Favete linguis: dicere Fascium
Decus superbum, dicere gloriam
Me luce lustrali Camena
Cum cithara monuit Latina. (1-4) [...]

²⁶ De eo consulatur Oliv. Franzoni, 'Il Salesiano don Ottavio Tempini, sacerdote ed educatore. Appunti per una ricerca', *Ricerche storiche salesiane*, 16/1 (1997), 198-202.

²⁷ Et, nisi omnia fallunt, vetustius est vocabulum. Nam Mir, *Nova verba*, p. 246, in adnot. 2, videtur significare, nomen iam legi in commentariis, q.t. *Palaestra Latina*, 2 (1932), 113 [atque ibi re vera legitur: "sacacorchos/extraculum" ('Triclinium', *Palaestra Latina*, 2/16 (1931-1932; m. April. a. 1932), 112-113)]. Immo iam anno 1925 adhibitum esse videtur in octava editione libri G. Capellani, c.t. *Sprechen Sie lateinisch?: G. Capellanus, Parlare latino oggi. Conversazione moderna nella lingua di Roma*, edd. E. Renna – Cl. Ferrone (Neapoli, 2000), p. 40: "Lei ha un cavatappi? – habesne extraculum?". Capellani libellum, anno 1890 primum editum, complures v.d. postea emendarunt et auxerunt. Hinc formulae inter se nonnumquam discrepant. Henricus autem Renna et Claudius Ferrone octavam editionem (anni 1925) se secutos esse affirmant; at in editione decima quinta, curis Ludovici Spohr prolata (G. Capellanus, *Sprechen Sie Lateinisch? Moderne Konversation in lateinischer Sprache* (Bonnae, 1979), pp. 79-80 legitur: "Haben Sie einen Korkzieher – habesne tormentum cochleatum extraculum?"

O crimosum de Capitolio
Qui suscitatus verrere dedecus
 Nostrae salutaris, Benite,
 Grandis honor columenque gentis,

Magnam parentem conscelerantium
Semen vetabis vivere perfidum [...]. (41-46)²⁸

Hinc facillima mihi est transitio ab altera ad tertiam observationem, ad id dico, in quod cum primum passim legendo incidi, animo non solum commovebar, verum etiam vehementer perturbabar...²⁹ Sed fingite, auditores, adnumerari vos civitatis primoribus; ac gestire vos studio exercendae dictaturae perpetuae; efficere velle ut ad unum omnes vobiscum se sentire profiteantur cives, ut, quocumque vos vertatis, similem habeant labra lactucam, desint qui ea sentiant quae cum doctrina vestra non congruant. Quibusnam modis animos civium tractaretis? Nonne in omnium animos insinuanda atque inculcanda curaretis dogmata, placita, scita, praecepta vestra? Nonne ut ea omnes a teneris usque unguiculis imbibant operam daretis enixe? Itaque, si illa tempestate, de qua dicimus, ducis fuissetis administri, identidem proclamavissetis nihil esse differentiae inter rem publicam, partes fascales, Ducem ipsum; rem autem publicam quasi quoddam esse numen, religiose colendum, omnibus rebus anteponendum; singulis civibus non esse libere cogitandum, cum rei publicae moderatores satis iam pro eis cogitassent et quid iustum esset, quid bonum, satis iam decrevissent; ad virtutem bellicam et heroicam esse informandos adulescentes; etenim divinam patriam esse omnibus rationibus defendendam atque amplificandam; in eum finem vel oppressionem, et arma, si usus veniret, esse adhibenda; iustissimum esse bellum contra Aethiopas incohatum; populum Italicum eum esse, quo toto orbe maior non inveniretur; ab ea natione Italica cultum civilem, eumque salubrem atque magnificum, multas per regiones diffundi; necesse esse ut omnes cives uno ore, una voluntate, uno studio, patriae ergo, idem sentirent, et rectoribus fascalibus oboedirent; qui secus sentirent, eos esse rebelles atque haereticos, e civitate expellendos et amovendos; nullam denique sectam saluti rei publicae magis consuluisse, quam fascales, quippe quorum opera seditiones communistarum et procellae post primum bellum mundanum saevientes tandem sint sedatae.

Talem fere animorum dominatum (quem ego nimis rudi pinxi penicillo) greges moliebantur fascistarum, qui inde ab anno superioris saeculi circiter vicesimo quinto (si historiographis recentissimis credere licet), studiorum rationibus mutatis, puerorum et adulescentium institutionem opinionibus doctrinisque fascalibus imbuere statuerunt. Non ergo eheu semper concessum est pueris et adulescentibus, ut Latine discendo litterasque Latinas tractando asylum quasi quoddam invenirent, quod a dogmatis iterumque iterumque decantatis esset liberum, cum praesertim 'Romanitas' illa, a fascistis collaudata, cum lingua litterisque Latinis artissime esset coniuncta. Porro methodo illa viva, quam diximus, imperata, id temporibus consentaneum erat, ut etiam res recentissimae scholis Latinis exponerentur ac tractarentur . Quae cum ita sint, tamen vero maiora dicerem, si opinionibus fascalibus nullum non intaminatum esse enchiridion contenderem. Nam, exemplum ut afferam, Vido Pasquetti, auctor libri, c.t. *Roma antica da vicino. Dialoghi, scenette, spunti di conversazione latina* (5a ed.) (Panormi et Mediolani, s.a. [c. 1938]), etiamsi in praefatione patrio fervore nimio flagret

²⁸ Bini, *L'uso vivo*, pp. 266-269. Mirandum est sane quod iudices Certaminis Hoeufftiani id carmen praemio dignum iudicaverunt.

²⁹ Novi regiminis damna verbis dilucidis atque expressis iam exeunte anno 1935 descripsit Reverendissimus D.D. Dominicus Tardini, alter ab actis S. Congregationis extraordinariis procurandis Ecclesiae negotiis: quae verba laudantur ab E. Gentile, 'Catholicism and Fascism', p. 14.

et opinionum, quae tum vigeant, maculis ipse quoque foedetur,³⁰ in ipsis tamen colloquiis ceterum perelegantibus atque eruditione varia refertis abstinuit a laudibus ‘novae Italiae’, uno fortasse loco excepto eoque, ut opinor, ignoscendo:

Fasces sunt magno in usu atque honore in re publica nostra. Quid, Sexte, de fascibus didicisti? (p. 84)

Item Aloisii Cognasso formulae et colloquia, quae mihi plerumque eleganter atque emendate videntur esse conscripta, non nisi leviter sunt tinctae fascialium placitis. Nam etsi hic instituta quoque fascalia, velut ‘Balilla’ [*Italicum Balillarum Institutum; Balilla; lictorii impuberes; lictorius puer*] Latine vertere est conatus quemve ad modum illud Italicum ‘fascistizzare’ [*ad Fascium disciplinam informare, redigere*] esset reddendum anquisivit, novi regiminis ducisve laudes non sunt ab eo celebratae usque, neque toto opere facile reperias, quod ultra hanc sententiam procedat:

Quo in statu sunt res Italicae?

Sane splendidissimo, ut nunc est, post Lictoriam fidem a Mussolinio constitutam.³¹

Inveniuntur vero libri, qui novo rerum statui laudem tribuunt vel etiam qui scatent laudibus Mussolinianis, partiumque fascialium opinionibus satis infecti sunt vel etiam defoedati. Tales ergo res legere ac pervolutare interdum cogebatur puerorum aetas tenera, cum ad undecimum vitae annum vix esset perventum! Namque id genus libri manuales in usus medii scholarum ordinis iuniorumque alumnorum edebantur. Quamquam, neque hic supra modum rem verbis exaggerare velim. Selegi equidem locos aliquot ‘Mussolinianos’ e libris scholasticis, quo fieri potest, auditores, ut ceteros locos selectis eis plane respondere opinemini; at vos sic habetote, alios libros scholasticos leviter esse infectos opinionibus fascialibus, alios earundem opinionum venditione redundare. Fuit, ut exemplum peius afferam, praeceptor idemque sacerdos, nomine Franciscus Stanco, qui eo vesaniae processit, ut *Epitomam cultus civilis fascialis* Latinam composuerit typisque edendam curaverit, eamque ad Instituti Romanis Studiis Provehendis moderatores ea spe ductus miserit, fore ut in certamine solutae orationis Latinae praemio honestaretur.³² Sed eum librum execrabilem, a collega quodam meo nuper repertum, quod enchiridion militis fascialis appellari potest, quod opus in scholis Latinis explicari scriptor voluit, quoniam non e colloquiis constat, missum iam facio. Exempla enim mihi sunt afferenda e libris colloquiorum sumpta. Atqui tolerandum est fortasse colloquiolum hoc Tempinianum, in quo adulescentes Duci propinant:³³

³⁰ Pasquetti, *Roma antica* [in praefatione], habet quae cum Laurentio Valla comparare possis : “L’Italia che si accinge a ritornare romana, riprenda essa la direzione della lingua latina, ne disciplini l’uso, ne incoraggi il lessico e la diffusione, sì che Roma non sia solo simbolo di aspirazioni, ma efficace ritorno alle sue immortali grandezze.” Ibidem lingua Latina dicitur esse lingua Italarum propria.

³¹ Cognasso, *Colloquia Latina*, pp. 36-41: *Locuzioni notevoli*.

³² F. Stanco, *Epitome di cultura fascista. Ad uso degli alunni del 2° 3° e 4° anno di latino*, ed. altera (Augustae Taurinorum, 1938); opus in capitula sive scholas divisum permultis photographematis est instructum. Quo insaniae auctor processerit, ex hoc unico pateat exemplo (pp. 87-88: *DUX magnanimus*): “Dux, in Italiae hostes acerrimus, erga bonos, pauperes, infirmos liberali est animo; populum amat et cum eo esse, vitae necessitates audire, illi succurrere in deliciis habet. Cum copiarum exercitationes in Pedemontio agerentur, incolarum multitudini, itinere toto magna laetitia plaudenti, vel singulis pueris qui, Duce agnito, brachia gestientes tollebant, Romano more salutem referebat. In platea vici alpestris ita omnes incolae gaudium suum patefecerunt ut Dux, benevolentiam exhibens, parumper consisteret maximo plausu exceptus. Profecturus erat, cum “Procul, procul! Sinite ab eo Ducem videri” auditum est. Et Mussolini, iterum autocinetum tenens, benevolus: “Pergat, pergat”, inquit, “qui me videre cupit”. Senex octoginta annos natus, vacillans et lacrimis gaudio manans, eum adiit. Dux ei animum addidit et quot filios haberet ex eo quaesivit: cum comperisset esse novem et summa inopia illum laborare, sui magni et excelsi animi pignus dedit et subito e populi benedictis conspectu evolavit.”

³³ Tempini, *Manuale*, pp. 40-42: *Una bicchierata* (comissatio). *Un brindisi al Duce*.

(Henricus) Tollite pocula: collidamus scyphos propinando salutem Duci.
(Omnes) Bene Ducem (Duci)! Deus illi adsit! Deus eius consilia fortunet!

Sed ultra progressus est praeceptor, qui dialogum insertum voluit de die festo, quo Romana illa expeditio (m. Oct. a. 1922) ‘subucularum nigrarum’, quas appellant, concelebrabatur:³⁴

(Proculus) Age, inanis timor ne te impediatur, quominus saltem quidquam de praeceptoris oratione percipiam (degustem).

(Anselmus) Quod meminerim, orator primum disertissime ostendit, per Lictoriam Fidem stetisse ne regnum Italicum post Europaeum bellum funditus everteretur. Deinde, quantum Novi Lictores de rei publicae saluti sint benemeriti amplissime disseruit. Tum enarravit hodierna incrementa agriculturae, commercii, classis maritimae atque aëreae, portuum, viarum, viarum ferrearum, electricarum, automobiliarum [sic!]; pontium atque aedificiorum; [...] collegia ex fabricatoribus et opificibus constituta; [...] Lateranense conventum; colonorum advectionem, Aethiopicam expeditionem, etc.; ut ii, qui aderant, facere non potuerint, quin una simul surgentes brachiaque protendentes Duci auctori et effectori tanti operis quam vehementissime plauderent.

Multo vero tumidioribus sententiis constant dialogi quos in usum iuventutis edidit Caesar Paperini, hoc titulo inditos: *Impara a parlare e a scrivere nella lingua latina. Scene, quadretti, lettere, dialoghi in latino con spunti grammaticali. Libro divertente e istruttivo di utilità pratica per gli studenti delle scuole medie*, 1 (Romae, 1938). Omnia ibi laudibus fascalibus referta et ea vaniloquentia, a qua ipse Mussolinius non abhorrebat. Unum sinite me exemplum ex eo libello proferre, quod nos ad eandem illam expeditionem mensis Octobris anni 1922 reducit:³⁵

(Marcus Trambusti) [...] Iam Latii caelum mille vocibus resonat. Improviso vox altissima, formidulosa tonat: “Romam! Romam! Romam nostram!”

(Nestor Stocchetti) Te audiens A<e>neadum consalutationem in tertio illo libro Vergiliani poematis memini, quum, post tot tantosque labores, <humilem> Italiam prospiciunt. [...]

(MT) Ita! At hic non humilem; revera magnam Romam, Urbem aeternam, immensi orbis caput, Patriam gentium, pulcherrimam rerum, orbis terrarum lucem.: “Avanti, avanti: a Roma, a Roma, a Roma!”

(NS) Bene!

(MT) Postero die Lictoriae fidei apotheosis vere fuit. Nigrarum tunicarum legiones, praecedentibus Duce et quadrumviris [sic!] [...] Quirinalem petunt. Velivola strep<u>nt in purissimo Urbis aëre, simul cum magno clamore consensuque populi. Flores, lauri rami e fenestris iaciuntur. Continenter crebris “Eia, eia, eia! Alalà”³⁶ caelum tonat.

(NS) Mihi commemora quid Victorio Emmanueli III, regi nostro, dux dixerit.

(MT) “Victorii Veneti³⁷ Italiam ad te fero”, inquit, “nova victoria iterum consecratam”.

(NS) Ex eo faustissimo die incipit Italia nova.

(MT) Ita prorsus. [...]

Mussolini autem tamquam patris patriae praeconia cumulantur eo libro, quem curavit edendum Iulius Meregazzi et ita inscripsit: *Colloquia, Diverbia, fabellae* (Lingua Latina ex usu, 1), ed. quinta (Mediolani, 1939).³⁸ Heic quoque dogmata fascalica saepius inculcantur puerorum puellarumque mentibus; quae dogmata sunt fere eadem atque ea, quae Franciscus ille Stanco *Epitomâ* Latine complexus erat:³⁹

³⁴ *Ibid.*, pp. 98-101: *L'anniversario della Marcia su Roma*.

³⁵ Paperini, *Impara*, pp. 35-39: *Che cosa ci ricorda il 28 ottobre*.

³⁶ Voces (a Gabriele illo Nuntio sive D'Annunzio propagatae), quibus greges fascales uti solebant.

³⁷ Hoc est, Victoria Venetorum, prope quam urbem anno 1918 Itali imperio Austriaco-Hungarico cladem attulerunt.

³⁸ Prima editio, quam non vidi, videtur anno 1927 in lucem publicam prodisse. Posteriores igitur additamentis sunt auctae.

³⁹ Meregazzi, *Colloquia*, pp. 107-108: *De fastis Patriae diebus (III)*.

(Pater) Nunc ad recentiora veniamus. Quod enim inceptum superiore anno tam prospere et maxima cum laude Itali perfecerunt?

(Lucius) [...] Duce auctore et communi civium consensu, bellum in Aethiopia suscepimus eamque paucis mensibus in dicionem nostram redeimus.

(Pater) Vel potius milites nostri armis ac virtute Aethiopes subiecerunt; nos autem in eos, qui usque ad id tempus specie amicitiae invidiam celaverant, animis et constantia pugnanimus.

(Lucius) Quid tibi vis? Non plane intellego.

(Pater) [...] Num illius, quae nationum Societas dicitur, oblitus es? Simulans se universae Europae pacem servare ac custodire velle, iussit nos arma ponere et bellum cum Aethiopum imperatore componere. Quod cum non effecisset, omnibus rebus ad usum belli et ad victum necessariis populum italicum intercludere conata est. Contra Italiam, artificum, poetarum fortissimorumque virorum parentem, ad aethiopicam feritatem tuendam duae et quinquaginta civitates coniurationem fecerunt. [...]

Idem Meregazzius beneficia a fascilibus collata gloria et praedicatione effert, eaque tradenda esse scholis Latinis censet; initia motus fascalis eiusque promerita quibus ille laudibus ornaverit, audite:⁴⁰

(Lucius) [...] Magister enim de factionibus, de civilibus dissensionibus nonnumquam mentionem fecit...

(Pater) Quae Italiam crudelissimo ac diuturno bello confectam et quasi prolapsam dilaniaverunt. [...] Quis igitur turbas, omnia divina humanaque miscentes, dispersit atque delevit?

(Lucius) Mussolinius, lictorius Dux, cum manipulis suis.

(Pater) Ergo Dux noster italicam restituit rem.

Eandem fere cantilenam cecinit B. Isa Noël, qui hunc *Alternis Sermonibus* (Neapoli, 1936) sermonem immiscuit:⁴¹

(Professor) Et populus quid sensit [hoc est, post prius bellum mundanum]?

(Discipulus) [...] Duce opus erat. Et Benitus Mussolinius Dux fuit aptus ad Italorum motus sapienter fortiterque ducendos. [...]

(Professor) Quenam beneficia Italis Lictoria Fides attulit?

(Discipulus) Innumera beneficia; in primis diu exoptata Conciliatio [sic! pro 'exoptatam Conciliationem'] inter Ecclesiam et Regnum Italicum; nostris diebus Imperium Aethiopicum, partum bello quo manifestissime illuxit quid valeant Itali terra, aere, mari.

Nihil vero foedius, nihil taetrius me legere memini quam ea quae Paulus Fabbri, qui vir operam suam cum Instituto Studiis Romanis Provehendis sociabat,⁴² litteris consignavit. Hic homo duo volumina publici fecit iuris, quae inscribuntur *Conversazione e Composizione Latina*; prius in usus tironum iuniorum, discipulorum paulo maiorum in usus contextum est posterius.⁴³ Nullus ibi modus, nullum frenum laudibus Mussolinii regiminisque fascalis iniectum. Longum est singula afferre; duos laudabo locos, quibus lectis satis superque vobis constabit quae hominis fuerit indoles quantove opere novo rerum ordini faverit:

(Ginus) [...] Audivi te saepe videre Benitum Mussolini et cum eo colloqui. Uter maior est, Mussolini an Scipio Africanus?

(Poeta) Viri sunt ambo maximi, carissime puer; sed Mussolini est fortasse melior. [...]⁴⁴

⁴⁰ *Ibid.*, pp. 106-107: *De fastis Patriae diebus* (II).

⁴¹ Pp. 15-18: *Lezione*.

⁴² De vita Pauli Fabbri (° 1881) complura documenta reperiuntur apud illud Institutum Romanum, in tabulario ipsius asservata (cfr. 'Latino, busta 201').

⁴³ I: *Per le scuole medie inferiori* (Romae, ed. altera, 1938); II: *Per le scuole medie e superiori* (Romae, ca. 1940).

⁴⁴ Fabbri, *Conversazione*, I, pp. 28-31: *Visita di un piccolo ad un grande*.

In eo autem colloquio, quod inscribitur *A teatro*,⁴⁵ inter se obviam fiunt Iulius et Primus, Itali, et Gulielmus, Germanus, dramati musico interfuturi, cui nomen *Otello*, cuius modos fecerat Iosephus Verdi. Eis autem temporibus foedere (quod ferreum nuncupaverat Mussolinus) inter se iuncti erant Germani et Itali. Itaque haec Iulius:

(Iulius) Gaudeo te aliqua ex parte esse nostratem.⁴⁶ Ego autem non timeo dicere iuvenes Hitlerianos esse etiam Mussolinianos.

Opportune autem apparet Ducem ipsum in theatro illo morari spectatorem:

(Primus) Ecce Dux! Bene Ducem! Quot plausus! Totum theatrum movetur tamquam si insania correptum sit. Quid dixit Germanice ille iuvenis Hitlerianus?

(Gulielmus) Dixit iuventutem Germanicam colere Ducem, qui iustitiam populis nuntiaverit, Romamque venerari, effectricem humani cultus et tutelam contra barbariem Asiaticam.⁴⁷

Cetera his locis excerptis fere respondent. Adulatio ibi late serpere videtur. Unum reliquum est ut heic moneam, Fabbri opusculo subiunctas esse historiolas: iis continetur epitome historiae Italicae recentioris et recentissimae, quod summarium haud sine ira et studio est exaratum et notas illas cantilenas de benefactis fascalium profert dum nova Italia impense collaudatur. Eiusmodi scitote summaris semihistoricis haud paucos libros scholasticos eius aevi fuisse munitos.

His historiarum scriptoribus comparandus est Pizzius nescio quis, qui cum formulas loquendi Latinas in libellum congereret, etiam *Immortalia opera formae civitatis cui a Fascibus nomen est factum* (*Opere immortalis del Regime fascista*) viginti circiter sententiolis complexus est easque tironibus proposuit, memoriae, nisi fallor, mandandas.⁴⁸

Etiam maiorem sese ‘novae Italiae’ fautorem praestitit Arturus Bini, quem dixi: qui manuali scholastico non solum adiunxit quattuor Mussolini orationes in Latinum sermonem versas, sed etiam locos e reliquis ipsius ducis scriptis excerptos et Latine redditos, quibus quasi summa quaedam confessionis, ut ita dicam, fascalis continebatur et adagia Mussoliniana (quae sunt interdum atrocita) repetebantur.⁴⁹

Ceterum extiterunt qui integram orationem Mussolinianam, in Latinum translata, colloquiis suis scholasticis interseruerunt. Etenim G. Balboni et E. Neri eo libro, quem *Conversazioni latine per tutte le scuole medie* (Senis, 1937) inscripserunt, matris et filii immiscuerunt colloquium, habitum cum Mussolinus Imperium Romanum restitutum esse proclamasset. Qualia tum spectacula in Urbe exhibita essent, rettulit matri filius; mater rursus, quae Ducis orationem undis radiophonicis emissam eo ardore auscultaverat, singula ut eius verba

⁴⁵ Fabbri, *Conversazione*, II, pp. 33-37.

⁴⁶ Germani illius mater Tridento erat oriunda.

⁴⁷ Cfr. foedus anno 1936 inter Germanos, Iapones, Italos adversus Russos conflatum.

⁴⁸ C. Pizzi, *Latinissantes. Avviamento all'uso della espressione diretta in latino* (Mediolani, Genuae, Romae, Neapoli, 1938), pp. 121-122.

⁴⁹ Cfr. Bini, *L'uso vivo*, pp. 421-433 et 434-439. Versiones Latinas, nisi fallor, confecerat Iohannes Napoleone. De eiusmodi versionibus cfr. quae scripserunt J. Luggin, ‘Imperium iam tandem Italiae restitutum est. Lateinische Übersetzungen der Reden Mussolinis zum faschistischen Imperium’, in Lamers – Reitz-Joose – Sanzotta, *Studies in the Latin Literature* (sub prelo); H. Lamers, ‘Latinizing Mussolini’s Message: Nicola Festa’s Latin Translation of the Proclamation of Empire (1936/7)’, *International Journal of the Classical Tradition*, 24 (2017), 198-218.

avidissima exceperit aure, eaque stenographice (ut ipsa dixit) transcripserit, orationem Mussolinianam Latine redditam coram filio recitavit!⁵⁰

Hisce temporibus, cum libellos tales, quales adumbravi, in manus sumimus, non multum abest quin nos tironum, qui tum fuerunt, misereat. Nonne enim in eorum mentes improbae sunt insinuatae opiniones, nonne instillata vel etiam ingurgitata dogmata praeceptaque prava? Fusca igitur vel nigra nobis ea videntur fuisse tempora. Verum sunt multa, quae adhuc ignoremus. Nam, si libri novicii quarto illo saeculi et ineunte quinto decennio in lucem prodierunt, quaerendum est quatenus ad scholas illi assidue adhibiti fuerint, investigandum est fuerintne colloquia ea dogmatica a praeceptoribus permultis consulto praetermissa, inquirendum est quae fortuna fuerit librorum tralaticiorum usuque iam diu receptorum. Nam orbis scholasticus rebus novis favere non suevit, at constantia quadam (quam alii torpedinem atque inertiam vocaverint) distinguitur. Fuerint inspectores scholarum illos per annos severi, at callida solet esse praeceptorum natio; itaque doctores tutas vias repperisse opinor, ut pericula poenasque vitarent, remque suam - non Mussolinianam - sine metu nimio agitare possent. Illud etiam considerandum mihi videtur esse, decretum illud regium (anni 1936), quo una cum viva loquela Latina venditatio quoque fascalis in libros irrepsit, ea tempestate esse latum atque impositum, cum amor novi ordinis, si quis in initio forte fuerit, defervescere coepisset, cum cives non iam eadem alacritate administrationem fascalem amplecterentur Mussoliniumve sequerentur, cum damna regiminis patefierent in dies magis.⁵¹ Ipse de hac re adii Iosephum Tusiani (1924-2020), poetam Latinum Neo-Eboracensem, at ortu Apulum; qui anno circiter 1935 scholas medii ordinis apud Apulos obibat: qui interroganti mihi respondit doctrinas eas novellas sibi a praeceptoribus minime esse impertitas; hac una re sensisse se misera in tempora fascalica incidisse, quod singulis Saturni diebus exercitiis athleticis interesse cogere, quae odio maximo haberet! Est ergo cur suspicemur multos e praeceptoribus, pro sua prudentia rerum et intellegentia, navigia sua perite rexisse, scopulos fascales caute vitasse, naves ad litus optatum appulisse.

Qui vero tirones magistris rei fascalicae studiosioribus utebantur, ii sane, si eiusmodi libros perlegere memoriterque discere debebant, miserandi erant; nam non ad verum cultum civilem Romanorum aditus eis dabatur, sed ad quandam quasi umbram eiusdem; pro veteribus litterarum auctoribus sedulo pensitandis evolvebant recentissimorum opuscula, nimis simplicibus referta dogmatis, ex adulatione composita a simiis et satellitibus Mussolinii; qua re adulescentes certam faciebant temporis iacturam. At quid, si eiusmodi opera novella, recentiorum rerum et cottidianarum plena, non extitissent, quid si tirones iuvante praeceptore ad ipsos scriptores veteres accessissent? Num eos ab ea contagione mali liberos in scholis futuros fuisse existimemus? Vix crediderim. Nam ibi quoque, sub magistro, si forte favebat is ovo ordini, erat periculum, ne ii tantum loci adolescentibus proponerentur legendi, qui ad rem fascalem facile detorqueri possent...⁵²

Non me fugit Erasmus quoque Roterodamum de suis temporibus egisse, cum *Colloquia* conscriberet. Qui tamen non huc delabebatur, ut sibi identidem gloriaretur. Idem, si homines ad meliores mores perducere cupiebat, non confugiebat ad dogmata pauca numquam non inculcata, verum quae mutanda atque emendanda existimabat, ea non sua ipsius auctoritate defendebat (id quod fascistae solebant), sed argumentis permultis firmavit, ceterum efficiebat

⁵⁰ Balboni – Neri, *Conversazioni*, pp. 156-164: *Renuntiatio Romani Imperii iterum restituti*.

⁵¹ Cfr. quae de nova Italia scripsit D. Tardini (v. adnotatiunculam 1); L. Russo, ‘I giovani nel venticinquennio fascista (1919-1944)’, *Belfagor*, 1 (1946), 7-16.

⁵² Cfr. H. Roche, ‘Classics and Education in the Third Reich: *Die Alten Sprachen* and the Nazification of Latin- and Greek-Teaching in Secondary Schools’, in H. Roche – K. Demetriou (edd.), *Brill’s Companion to the Classics, Fascist Italy and Nazi Germany* (Lugduni Batavorum et Bostoniae, 2018), pp. 238-263.

ut rationes rationibus pugnarent; idemque vivis et veracibus coloribus mores hominum ita depingebat, ut qui verba eius legeret, statim consentiret; dux contra et eius asseclae illud 'Ipse dixit' unice colebant, dum dogmata aliquot austera unâ ducis quasi divina auctoritate defendunt; non disputabant ii quidem, sed proclamatores agebant rabulasque.

Ut aegre sustinuerim multa, quae eis libris scholasticis proponebantur, quod mendaciis essent aspersa, tamen fateor me nonnihil addidicisse incumbentem in eas litteras, quae aevo fascium renovatorum sunt scriptae. Cur ita? Quia, ubi de saeculo vicesimo agitur, quid intersit inter res vere gestas et eas, quas in litteris asseverari videmus, satis facile distinguimus. Itaque cum quae de Mussolinio dictatore eiusque turmis et partibus in illa aetate sunt conscripta legerem, magis mihi conscius fiebam eorum quae vere sunt facta: a fabulis ad facta veniebam. Id est autem multo difficilius, ubi de aetatibus remotioribus agitur. Iam vero, quotiens Horatium in manus sumo aliosve poetas et scriptores, aevi Augusti haud raro praecones, totiens nescio quo modo fit ut intuitu quasi quodam diverso, oculisque multo magis censoriis id genus laudes Caesaris evolvam. Ita lucri me aliquid fecisse existimo.

Dixi.

Dirk.Sacre@kuleuven.be